



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 42. Et parauerunt pascha. v. 16.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

perfectiois, quo vos peruenistis tunc inueniam certe quem diligit & querit anima mea.

§. 41. *Et inuenerunt, sicut dixerat illis. v. 16.*

Quod inuenerunt? primo hominem baiulantem aquam, seruum scilicet eius cuius dominum querebant, inde domum domini querendi, tertio ipsum herum domus, quarto canalium grande stratum, & ornatum peristromatis & tapete & triclinijs seu lectulis more orientaliū populorum dispositis.

**F**elices discipuli, felices famuli qui tali domino seruiunt ad cuius nutum omnia certo fiunt, cuius verbum, ipsa veritas est, promissio factum. O quis mihi dabit tali fidelitate inseruire Domino huic, qua video hos discipulos eidem deseruisse. Utinam horum exemplum Episcopus in suo gradu & Sacerdos in suo & Leuita, & secularis, & quisque imitetur, quam suam nobis foret hæc misera vita!

§. 42. *Et parauerunt pascha. v. 16.*

Nimirum quicquid ad eam solemnitatem opuserat eo die curare, sequenti die cætera curaturi more Iudæorum tunc recepto cum omnibus circumstantijs, quæ ad id festum pertinebant, scilicet panem azymum, herbas agrestes, linteamina, cingula, mensæ sternia, mantilia, aquam, vinum, scyphos, & si quæ alia necessaria essent in aduentum Domini sui, & hoc cum omni diligentia, pietate amore, & sincero cordis affectu.

**O** Domine, felices discipuli qui mittuntur à te, qui mittuntur ad tuum seruitium, magis felices qui obediunt ad nutum, & parant Domino suo pascha nouum in corde suo quotidie in azymis sinceritatis, & veritatis cum lacrimis agrestibus mortificationum, lachrymarum, & pœnitentiæ felicissimi qui cum eo modo obediunt deinde sedent in canaculo illo colorum grandi strato, & parato omnibus diligentibus se & manducant quotidie contemplando & fruendo agnum immaculatum æternum incomprehensibilem, omnis felicitatis. Ergo mitte & me parare tibi pascha, & concede quæ solo omnipotens, & misericors Deus, quæ tibi placita sunt diligenter & ardentem concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere & perfecte adimplere, vt cum sanctis Apostolis tuis quandoque & electis videam, adorem, & fruam in aula illa cælesti agno illo omnis felicitatis gloriæ, & æternitatis autore.

§. 43. *Vespere autem facta venit cum duodecim. v. 17.*

Cur vespere? multis & prægnantibus causis, siquidem vespera diei